

B. N. II, 290.

h. 56, 14.



A. Ω.

PATREM ET FILIVM,
IUDICES MUTVOS,

EX

DECRETO ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
SVB PRAESIDIO

DOMINI,

CHRISTOPHORI DONDORFF,

J. V. D. FACVLTATIS IVRIDICAE, VT ET
CVR. PROV. INF. LVS. ASSESSORIS

GRAVISSIMI,

DISSERTATIONE JURIDICA

AD D. X. SEPT. A. c. 1713 CC XXII.

SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTENDA,

H. L. Q. C.

P. P.

CARL RVDOLPH GRAEFE,

WELTEVIC. MISN.

L I P S I A E,

LITERIS IMMANVELIS TITIL.

16

VIR O
OPTIMUM REVERENDO acq; DOCTISSIMO
DOMINO

M. JOH. RVDOLPHO GRAEFIO
PASTORI IN WELTZWITZ, WOELPERN
ET GOSTEMIL LONGE VIGILANTISSIMO
& O. DICIT
PRAESES

Rakens specimen Te Viri Prae-
sidentis Reverende Jureconsulti
provoctat, ex quo
solutis hinc indices
quibusdam alacris
promittit an-



bet; Certe testari cogor, me hanc dissertationem pa-
rum, aut nihil prater thesaurum, addidisse, potius
ut non, rare volum, quod brevi temporis lapsu
scriptum, nisi cogitare possit, nec in cassum, nec
ineffectum, studium examini, quod pro Praese in
re, illa nosse, hinc dicitur, scripsimus
comes



VIR O
PLVRIMVM REVERENDO atq; DOCTISSIMO,
DOMINO,
M. JOH. RVDOLPHO GRAEFIO,
PASTORI IN WELTEWITZ, WOELPERN
ET GOSTEMIZ LONGE VIGILANTISSIMO
S. & O. DICIT
PRAESES.



*Resens specimen Te Vir, Plu-
rimum Reverende, Judicem Fi-
lii charissimi provocat, ex quo
de ejus studiis solidis judices,
simulque intelligas, quam alacri-
mente honores promeritos an-
helet; Certe testari cogor, me huic dissertationi pa-
rum, aut nihil prater thema, addidisse, potius
ipse monstrare voluit, quod brevi temporis lapsu
viribus suis confidere possit, nec in cassum, nec
sine laude. Siquidem examen, quod pro Praxi in
Facultate nostra hisce diebus subiit, certissimus
comes*

comes industria esse potest. Gratulor igitur Tibi,
Vir Clarissime, de tam obsequioso filio, gratulor
et mihi, qui occasionem nactus, Nobilissimi fi-
lii studiis praesidio meo succurrere. Deus T.O.M.
spem de eo conceptam augeat, ut indies experia-
ris, haud minimam caritatis felicitatem in eo con-
sistere, si parentes de probis et bene educatis libe-
ris gaudere possunt. Dab. Lips. IV. Id. Sept.
A. c. l. cccc. xxii.



[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including words like 'De filio', 'Paris', 'Judice', and 'Arbitr', and a list of Roman numerals from I to VII.]

III 7 2

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

CAP. I.

De Judice ejusque requisitis in genere, nec non de Suspecti recufatione.

- §. I. *Judicis origo, necessitas, definitio.*
- §. II. III. IV. *Divisiones.*
- §. V. *Requisita.*
- §. VI. *Requisitorum opposita, & in specie, de Judice inhabili.*
- §. VII. *de Imperito.*
- §. VIII. *de Suspecto.*
- §. IX. *de eo, qui suspicionis argui potest.*
- §. X. *de Speciali Suspicionis causa, consanguinitate & affinitate.*
- §. XI. *de cognatione spiritali.*
- §. XII. *Nexus & transitio.*

CAP. II.

De filio sui juris, Patris Judice.

- §. I. *Sensus vocum Patris & Filii.*
- §. II. *An filialis reverentia filium Patris Judicem esse prohibeat?*
- §. III. *An filius esse queat judex patris in actibus voluntariæ Jurisdictionis?*
- §. IV. *An Principis filius fieri possit Judex patris?*
- §. V. *An filius judex ordinarius in causis Patris civilibus?*
- §. VI. *An in Criminalibus?*
- §. VII. *An Judex delegatus & Arbiter?*

§. VIII.

§. VIII. *An Pater Advocatus vel Procurator admittatur coram
iudice filio?*

§. IX. *An filius ipse deprecari possit cause paternæ cogniti-
onem?*

CAP. III.

De Patre, filii sui juris iudice.

§. I. *de Principe, filii iudice.*

§. II. *de Iudice Patrimoniali.*

§. III. *de Iudice feudali.*

§. IV. *de Iudice mandatario.*

§. V. *de Actuario.*

§. VI. *de Iudice Sententiam à Collegio Iudiciorum petente.*

§. VII. *de Casibus Suspecti recusationem plane excludentibus.*

CAP. IV.

De Patre & filiofamilias, Iudicibus mutuis.

§. I. *Brevis explicatio doctrine de fictione unitatis inter
Patrem & filium.*

§. II. *Expositio l. 77. ff. de Iud. ejusque cum l. 10. ff. de Iuris-
d. conciliatio.*

§. III. *de effectibus Patrie potestatis in negotiis filii forensibus.*

§. IV. *Quatenus pater possit dici iudex domesticus?*

§. V. *de Patria potestate principum.*

§. VI. *de Patre simul Iudice, filium ultimi supplicii reum do-
mi clam interficiente.*

§. VII. *Conclusio.*



B. C. D.

DISSERTATIO,
DE PATRE ET FILIO,
JUDICIBUS MUTUIS.

CAP. I.

De Judice ejusque requisitis in genere, nec
non de suspecti recusatione.

§. I.



LX quo largissima summi Numinis providentia deperditæ hominum conditioni medelam afferre, externoque simul statui, rebus publicis conglutinatæ, & summo quodam humano imperio constituto, consulere, decreverat, communem quoque necessitatem ejusmodi personas desiderasse, liquet, quæ de quiete publica sollicitæ, causas civium disceptantium, aut delictis civitatem turbantium ad Juris & æqui normam cognoscant

A

& de-

& decidunt. *conf. MARTIN. ad Pr. Sax. t. 1. §. 1. n. 1. 2. sqq.*
 P. MULL. *ad Struv. Ex. IX. th. 9. n. α.*

§. II.

Prout igitur jam olim munus isthoc vel à summis simul Principibus susceptum, vel à subjectorum quibusdam exercitum fuit, v. DION. HAL. *lib. X. Ant. R. c. 1.* ita prioris generis exempla quotidie adhuc in causis, sive immediate, seu per vias appellationum aliasque, ad supremos in republica delatis ibique dijudicatis experimur, ut proinde hoc sensu & Judicis nomen & Jurisdictionis vox majestatis eminentiam omnino attingant, licet eandem, quod STRYKIO, *in U. M. ff. ad t. d. Jurisd. §. 6.*, facile concedo, non exhauriant.

§. III.

Eorum vero, qui non jure proprio, sed ex alterius concessione judicant, alios significatione speciali, sed frequentiori, Judices, h. e. publica autoritate constitutos, alios arbitros, s. privata conventionem receptos appellare consuevimus.

§. IV.

Plurimæ demum judicis modo indicati, pro jurium diversitate, habentur divisiones, quibus evolvendis ne pagellæ hæc absorbeantur, eas tantummodo referre lubet, quas circa præsentem ignorare materiam, vel omittere, nefas esset. Tradunt proin Jura civilia judices jurisdictione præditos, qui jurisdictioni præesse, s. jus dicere, *l. 10. ff. d. Jurisd. & datos, s. pedaneos, qui judicare dicuntur. arg. l. un. C. ne qui. in sua caus. add. STRUV. JPrud. R. Germ. lib. IV. tit. 4. Aph. 1. ii. HEINECCII Ant. Rom. ad Inst. Just. lib. IV. tit. 6.*

§. 6.

§. 6. seq. Addit Jus Canonicum Judicem delegatum *t. t. X. d. off. ac pot. jud. del.* qui partim cum Judice à principe dato, *arg. l. 5. C. de Judic.* partim cum mandatario conferri poterit. Ex patriis denique moribus ejus, qui vel reali s. Patrimoniali, vel personali jurisdictione gaudet, mentio erat addenda, utriusque definitione ex HAHN. ad WESENB. *t. d. Jurisd. n. 8.* repetita.

§. V.

In omnibus istis alia requiri, si jurisdictionis & judicii exercitium in se, alia, si competentiam spectes, CARPZ. *ad PROC. t. 2. sub initio* docet. De hac exactissimas ubique tractationes legere datur, ad legitimam vero judicii administrationem tria cum maxime faciunt,abilitas videlicet, juris peritia, & voluntatis in judicando integritas. *l. 19. ff. d. off. Praef. conf. Dec. El. 38. & 39.*

§. VI.

E diametro proin cum boni judicis caractere pugnant, Inhabilitas, Imperitia, Suspicio. Inhabilem dico, qui ob defectum naturalem vel civilem à judicandi munere ita arcetur, ut ne partibus quidem consentientibus eidem praesse queat, cujusque exempla recenset *l. 12. §. 2. ff. d. Judic. collato tamen c. 4. X. d. arb. add. c. 24. X. d. Sent. & Re Jud. l. 2. ff. d. Off. Ass. GAIL. de Pac. Publ. II. c. 1. n. 26.*

§. VII.

Judex imperitus est, qui legum notitia, causarum experientia, & assessorum peritorum subsidiis destitutus, *N. 82. pr. litibus* in tantum praesse prohibetur, in quantum par-

tes eundem recusant. Siquidem nullibi legum iste sub nullitatis præjudicio arcetur. *v. d. Nov. conf. MARTIN. ad Pr. Sax. t. 1. §. 1. n. 90. GAIL. 1. Obs. 33. n. 9.* Quin imo, quod opus fuisset actione male judicati, *l. f. ff. de Extr. Cogn. data*, si remedium longe pinguius, nullitatis videlicet ex inhabilitate resultantis, læso competeret. *add. MYNSING. ad pr. Inst. d. Obl. qu. qu. ex del. & hodierni laudatæ actionis testes BERG. E. D. F. Suppl. P. 1. p. 7. it. WERNH. S. O. F. Vol. V. obs. 369.*

§. VIII.

Suspicio in eo se exerit, qui propter negligentiam vel affectus officio suo non satisfecit, aut non satisfactorius esse creditur. Isque pariter non ipso jure, (frustra renitente *CARPZ. ad Proc. Sax. t. 16. a. 4. n. 56.*) sed ope demum exceptionis repellitur. *v. MARTIN. ad Proc. t. 11. §. 2. n. 463. 469. sqq.* Causa suspicionis, teste *MULLERO ad STRUV. Ex. IX. th. 11. n. 1.* quam plurimæ, vel è facto iudicis illicito, vel e metu admittendi ejusdem descendunt. Prioris generis sunt justitiæ denegatio & in procedendo negligentia *v. GAIL. 1. Obs. 28.* nec non precum, promissorum, munerumve acceptatio. *l. 15. §. 1. ff. de Judic.* Posterioris ad tria redire capita videntur, dum suspectum reddunt iudicem 1.) Interesse honoris *v. g.* Si in eadem causa Advocati vel Notarii munus obierit, *arg. l. 6. pr. C. d. Postul. & arg. Ord. Cam. P. 1. t. 39. §. 2.* aut si altera pars ultro & nominatim eum expetierit. *l. 47. ff. de Jud. arg. l. 25. ff. d. Procur. add. MART. ad Pr. rubr. 1. 34. n. 53. & 56. Ejusd. Anal. for. ad d. l. BERGER. E. D. F. ad d. 1. obs. 3.*

2.) Interesse bonorum, quod liquet in paupere, *l. 6. ff. d. mun. & bon. conf. tamen l. 8. ff. d. Susp. tut. & in eo, qui lucrum*

lucrum vel damnum ex lite sperat, cujus exempla v. in l. 17. ff. d. Jud. c. 18. X. cod. & apud MASCARD. d. Prob. Concl. 954. n. 25.

3.) Interesse amicitiae, tam simplicis, quam familiaritatem dicimus, cujusque oppositum, odia, neutiquam excludo, l. 9. pr. ff. d. lib. caus. add. DECIUM Conf. 175, n. 3. CARPZ. P. 3. Dec. 221, n. 17. quam sanguinis vinculo roborata. l. 10. ff. d. Jurisd. conf. tamen l. 67. ff. §. 1. d. R. N. & l. 23. C. d. Excus. tut.

§. IX.

Rogantibus jam, cujus jurisdictionem exceptione praedicta elidere liceat, eleganti axiomate succurrit MULLER. d. l. n. 2. tradens: Omnes eos ante sententiam posse recusari, a quibus post sententiam appellare licet. Ex quo facile est colligere, Judicem Supremum suspicionis frustra accusari. Ordinarius autem i. e. ei, qui jurisdictionem ipsi à Principe concessam nomine proprio exercet, exceptionem dictam opponi posse, nec Jus Civile, arg. l. 16. C. d. Jud. l. 10. & 17. ff. de Jurisd. nec nostri fori praxis refragantur. v. GAIL. 1. Obs. 33. CARPZ. ad Proc. tit. 3. a. 4. n. 85. & ab his citati. Id quod pariter de eo, qui nostris moribus patrimonialem exercet jurisdictionem, statuendum erit, licet utriusque, nisi praegnantibus obstantibus causis, alium spectatae fidei virum adjungi, quam eos a judicando plane arceri, & consultius & usitatius sit, sicut Jure Sax. Elect. judicem patrimonialem eo, quod lucrum vel damnum causae ad eum spectet, recusari non posse, judicio legitime constituto, manifesto Ord. Proc. Sax. 1. 2. §. f. argumento constat. Arbitros compromissarios declinare, ipsa exceptionis hujus natura,

tura, utpote, quæ consensu semel declarato, evanescit, vetare videtur. Aliud tamen in casu suspicionis post compromissum initum vel emergentis, vel cognitæ demum, statuendum venit, *l. 32. §. 14. ff. de Rec. arb.* quanquam appellationis remedium hoc casu deneget *l. 1. C. eod. l. 27. §. 2. ff. eod.* Hancque cum illa, quæ judiciorum tam summorum quam subalternorum assessores declinare permittit, potissimam regulæ supra traditæ dixeris limitationem. *conf. tamen simul §. 3. c. 3.*

§. X.

Sed eo redeundum est, unde §. præc. dilapsus sum. Consanguineos igitur & affines suspicionis in judicando argui posse, dubio caret. Idque ad liberos *l. 10. ff. d. Jurisd.* ad sobrinum, itemque generum, socerum, vitricum, privignum *l. 5. pr. ff. d. Injur.* extendit. At enim vero in determinando, ad quem usque exceptio nostra protrahi possit, graduum termino solliciti irritum plane laborem suscipiunt. Videlicet non in numeris, sed rationibus fundari debet decidentis controversias istas arbitrium, & expendi maxumopere qualitas partim & gradus favoris, partim lucri vel directò, vel per indirectum in judicem sanguine parti junctum casuri spes atque conditio. Sic enim Pater de peculio filii profectitio aut regulari adventitio judicans propriam agere videtur causam; Reliqui affines & consanguinei, quo propiorem succedendi invicem s. immediate, s. mediate, spem alunt, eo majori partialitatis suspitione premuntur.

§. XI.

Sponte jam sua ex dictis apparet, in quantum cognatio, quam spirituales cleri pristini fraudes effinxerunt, ipsis-
que

que civilium Legum Latoribus tantum non persuaserunt, *l. 26. c. d. Nupt.*, exceptioni nostræ locum dare possit, ea siquidem solam familiaritatis præsumtionem inducente, ex hujus etiam qualitate, nullatenus vero ex vinculo aliquo spiritali, metienda erit recusationis justitia.

§. XII.

Sed nunc proposito appropinquatum est scopo, eaque, quæ de suspitione hæctenus dicta sunt, ad Patrem & filium mutuo judicandi munere functos veniunt applicanda. Accedit insimul nova, ex capite patriæ potestatis, quæstio: An videlicet causæ filiifamilias coram Patre, & contra, facta ventilatio per unitatis fictionem invalidari queat? Utrumque seqq. paragraphis curatius paulo excutiendum, divino auxilio, Lectoris favore fretus, absque ulteriori præfamine, pro viribus aggredior.

CAP. II.

De Filio sui juris, Patris judice.

§. I.

Inscriptio capitis præsentis licet nullis ferme egere explanationibus videatur, Patris tamen & Filii nomine omnes, respectu tam affinitatis quam consanguinitatis, utriusque sexus ascendentes ac descendentes, *arg. l. 16. pr. ff. de Test. tut. l. 51. ff. d. V. S. l. 4. §. 2. ff. d. in jus voc. c. 12. X. d. maj. & ob. c. 4. X. d. arb. innui*, prius monendum, quam ad reliqua progrediar, duxi, quæstionibus de Patre & filiosam. huc referendis caput peculiare daturus.

B

§. II.

§. II.

Nequaquam vero obstat filialis religio, quæ parentibus cujuscunque generis non officia & obsequia solum, sed honores etiam debitos, *l. 6. ff. d. in Jus voc. l. 9. §. 1. ff. d. Obs. Par. §. Patr. præst.*, merito vindicat, quo minus in causâ Patris judicis officio defungatur filius, cum reverentia à Partibus Judici proprie sic dicto, tanquam personæ publicæ, i. e. summæ in republica majestatis & Dei ipsius vices obeunti, præstanda respectui domestico nec præjudicet, nec ab eodem penitus alteretur.

§. III.

Actus proin jurisdictionis voluntariæ, causæ cognitionem nullam desiderantes, quas per *l. 4. ff. d. adopt. l. 5. ff. d. Manum. vind. it. Dec. El. Sax. 38. §. 39.* coram proprio etiam peragere judicio licet, nihil obstat, quo minus pater ad filium jurisdictione pollentem referat, ibidemque valide expediat. In causis autem civilibus contentiosis, itemque criminalibus quid obtineat, juncta simul diversitatis judicum consideratione nunc speciatim observabitur.

§. IV.

Principes superiorem non recognoscentes, nulli humano judicio subjectos esse, adeoque pœna delictorum ab iis admissorum soli Deo relicta, causas ipsis cum aliis controversas tam consiliariorum quibusdam, quam propriis etiam filiis dijudicandas demandare posse, facile liquet, adèd, ut ne suspicionis quidem meminisse hic adversæ parti proficiat.

§. V.

§. V.

Ordinario judici in civilibus negotiis pater etiam, modo fundata fuerit fori competentia, vel invitus se submittere *arg. l. 12. §. 1. C. d. Jud. Et arg. l. 77. ff. eod.* tenebitur. Nec obstat *affertis arg. l. 10. ff. d. Jurisd. infra c. 4. §. 2. explicanda, nec l. 14. eod.* quum parens in casibus suppositis revera sit inferior filio, per ea, quæ §. 2. h. cap. differui. Dubium cæteroque non est, hoc casu adversam partem felici successu de suspicione excipere, aut apud superiorem conquiri posse, id quod partim ex §. 9. præc. cap., partim e recenti Incluzæ F. J. L. præjudicio apparet: **Daß Beklagter auf die erhobne Klage allhie sich einzulassen nicht pflichtig, W. R. W.**

Rationes Decidendi.

Ob wohl vermöge

l. 77. ff. d. Judic.

ein Vater in negotiis privatis vor seinem Sohne, und dieser vor jenem *contra reum*, indem

juxta l. 78. ff. d. 1.

das Amt eines Richters ein *munus publicum* ist, Klage anstellen kan, dahero, daß auf die von Becl. deßfalls vorgeschützte Exception nicht zu sehen gewesen, geschlossen werden möchte.

D. a. u. d. angezogener l. 77. ff. d. Jud. nur alsdenn statt findet, wenn von Gegentheilm der *Judex*, vor dem er Recht leiden soll, nicht *recusirt* wird,

v. BRVNNEM. *ad d. l.*

hingegen Beklagter, ungeachtet er eventualiter und mit ausdrücklicher protestation auf die Klage geantwortet,

bey angeregter exception, vermöge deren er vor diesem Judicio, indem der Nintmann des Klägers leiblicher Sohn, zu stehen sich geweigert, beständig verharret, einem Nintmann auch keine Assessores, wie die Rätthe in Städten und andere Collegia damit versehen seyn, zugeordnet sind, folglich darauf, in Abfassung dieser Sentenz zu reflectiren gewesen; So ist ic.

M. Jul. 1722.

§. VI.

Causas criminales ubi respexeris, alia omnino, argumentis probe ponderatis, prodibit sententia. Diserte *l. 77. ff. d. Judic.* licentiam filii judicandi in causis Parentum, & contra, ad privata negotia, i. e. Controversias civiles, *arg. l. 2. §. 6. ff. d. O. F. restringit, (conf. præjud. modo alleg. & HAHN. ad WESENB. t. d. Jurisd. n. 10.)* quæ, cum secundum inferius §. 2. c. 4. docenda tam de filiisfam. quam de his, qui sui juris sunt, intelligenda veniat, ne hoc quidem respectu, sufficienti diversitatis ratione deficiente, limitationem admittit. Nec patriis vero moribus aliud introductum esse apparet, neque Doctorum sententia, Parentibus criminale forum in liberos certis casibus tribuenti, ex qua ad præsentem alias quæstionem solida flueret argumentatio, tuto subscribi posse, cap. proxim. §. 2. docebitur, ratione dispositionis in eo potissimum sita, quod præsumant jura, affectus tam propinquo sanguine junctorum teneritatem vix unquam permissuram, ut personæ istæ judicis criminalis officium, quod in processu maxime inquisitorio indiciorum quoque contra reum conquisitionem exigit, rite exequantur.

§. VII.

§. VII.

Delegari causam patris filio posse, non est ambigendum. Sicuti vero nec tunc quidem exclusa censetur suspecti recusatio, *arg. c. postremo. X. d. Appell. v. GAIL. 1. Obs. 33. n. 4. sqq.* ita nequaquam negaverim, delegantem legum ferendarum potestate pollentem inquisitionem contra quemcunque subjectorum formandam filio ejusdem posse committere, ejusmodi Rescripto nihilominus sub- & obreptionis præsumtionem inducente, adeoque ab his, quorum fortean interest, modis omnibus examinando. *arg. d. c. 17. X. d. Off. ac Pot. jud. del. j. l. 2. § 5. C. si contr. jus § util. publ.* Quod reliquum est, in causa Patris filii arbitrium admitti. *arg. l. 6. ff. d. Rec. Arb.* luculentissime patet. v. MOLLENB. *Thes. J. C. p. 241. § n. 29.*

§. VIII.

Hactenus Patrem, tanquam partem principalem, in judicio filii consideravimus, nec omnis tamen suspicionis ratio etiam tum cessabit, ubi Pater Procuratoris vel Advocati munere, prædicto casu fungitur. Licet eandem causam ad judicem integerrimæ, quoad reliqua, famæ ac fidei, Assessoribusve nullatenus suspectis stipatum repellendum plane, solam non sufficere, quin deficientibus etiam requisitis istis Advocatum potius, quam judicem, submovendum esse, *arg. præjud. à Magnif. MENKEN. in Th. § Pr. ff. 1. d. Judic. §. 23.* allegati patet clarissime.

§. IX.

Quodsi præterea filius judex ipse causæ parentis cognoscendæ ac decidendæ sese subtrahat, dubium haud est, quin

invita etiam parte adversa idem ipsi permittatur. Licet enim iudicium per *l. 78. ff. d. Jud.* munus audiat publicum, id quod juris necessitate subimus, *l. 214. ff. d. V. S. & arg. l. 14. §. 4. ff. d. mun. & hon.* nec persuadere mihi possit EKOLTVS ad *ff. d. Jurisd. §. 4.* ut *arg. l. 10. ff. d. Jurisd.* (quæ nec Patris nec filii, sed tertiæ partis favorem respicit,) cogi hoc casu Iudicem non posse, concludam; nec è *l. 9. §. 3. ff. d. Rec. Arb.* tuto ad præsentem argumentari quæstionem liceat; necessitatem tamen officii suscipiendi licentiam detrectandæ causæ peculiaribus ex rationibus invisa haud excludere *arg. l. 23. C. d. excus. tut.* facillimo nexu colligitur.

CAP. III.

De Patre, filii sui Juris iudice.

§. I.

EVitari haud potuit, quin nonnulla ad quæstionem præsentem facientia capiti præcedenti ob arctissimam materiarum connexionem immisceantur, eaque non minus, quam ista, quæ ratiocinando ex prædictis facillime colliguntur, brevitatis amore jam præteribo. Prima igitur circa Principem occupabitur quæstio, qui, prout in republica neminem hominum superiorem paremve agnoscit, causarum ad liberos suos pertinentium decisionem, ut & delictorum eorundem coercitionem proprio determinandas arbitrio quovis jure sibi vindicat. Neutiquam vero Juris Germanorum Publici controversias hic loci meas facere animus est, ex quibus, teste etiam A. HOFFMANNO *Consil. 16. T. 2. n. 60. sqq.* facile apparet, eodem jure cum summis extra Imperium Principibus Status illius non undiquaque, sed legum potius Imperii fundamentalium observantiarumque antiquitus introductarum tenore censer.

§. II.

§. II.

Patre giudice ordinariò, delegato, vel arbitro, quid circa causas filii tam voluntarias quam contentiosas, criminalesve justum sit, ex cap. præc. §§. 3. 5. 6. & 7. haud difficulter colligitur. De eo jam controversia restat, qui patrimonialem exercet jurisdictionem, an & quibusnam modis eidem in liberos jurisdictio tribuenda veniat? Uno ferme id ore, si regulam spectes, negant Doctores. Modest. PISTOR. Qq. Illustr. P. 1. qu. 169. STRYK. U. M. ff. 1. d. Jurisd. §. 29. MATTH. STEPHANI de Jurisd. l. 1. c. 1. n. 73. sqq. CARPZ. P. IV. c. 43. d. 11. sed exceptionem adjiciunt: Nisi intra limites jurisdictionis paternæ contraxerint, vel deliquerint. Prius iisdem non concedo tantum, sed ad eos etiam casus, ubi & alii, jurisdictioni, quoad personam, haud subjecti, rei sitæ, causarum connexarum forive prorogati intuitu idem declinare nequeunt, arg. l. 14. ff. d. Jurisd., extendo, salva cæteroque adversæ parti suspitionis exceptione. Per delicta vero filios jurisdictioni parentum subjici, non concordare videtur Juris, quo utimur, analogiæ. Siquidem §. 6to cap. præc. adducta, quibus Pater & filius in causis criminalibus mutui fieri judices plane prohibentur, neutiquam conficiuntur argumentis dissentientium, in l. 1. C. Ubi Sen. vel Clar. potissimum fundatis. v. STEPH. & CARPZ. d. l. it. SCHVLT. addit. ad MOD. PIST. d. l. quippe quæ lex de eo tantum, qui in crimine quodam prehensus, adeoque ejusdem convictus jam est, nec de omni dignitate excludenda loquitur, & tanquam generalis, specialiori l. 77. ff. de Jud. dispositioni, neutiquam derogat, multo minus cum incompetentiæ exceptione, exceptionem simul absolutæ prohibitionis & inhabilitatis evertit. Ex quibus liquido constat, quales jam effectus allegatis à STRYKIO d. l. & BERGE-

BERGERO in *Oecon. Fur. lib. IV. t. 3. §. 2. n. 4.* casibus, nec consuetudinem, nec observantiam probantibus sint tribuendi. *conf. MYLER ab EHRENB. Gamolog. Pr. c. 22.*

§. III.

Nec vero peculiare quid circa quaestionem praesentem feudales tradunt consuetudines, quibus Pater, sive Dominus fuerit, sive è Parium Curiae numero, à filii Vasalli adversario absque dubio recusari, & deficiente Judice feudali superiori ad ordinarium causa deferri poterit. v. HORN. *JPrud. feud. c. 25. §. 3.* STRUV. *S. F. F. c. 16. §. 7. n. 2.*

§. IV.

Temporum praeterea nostrorum usu fere communi contingit, ut Jurisdictio viris Jurium peritis administranda & dirigenda mandetur, ubi sane Jura mandatarii ex persona mandantis undique metiri, à legum mente esset alienum. Siquidem mandatario ea omnia, quae mandans poterit, intuitu jurisdictionis, per *l. 1. §. 2. ff. d. off. ej. c. mand.* peragere non licet, quamvis contrario sensu à deficiente mandantis potestate, ad ea, quae mandatario, qua tali, non competunt, secura fiat argumentatio. Ei tamen, cui mandata est jurisdictio, à mandantis filii ibidem agentis vel conventi adversario suscepti exceptionem frustra opponi, liquet, cum illa personalis omnino sit, nec mandare quis delicta aut injusta praesumatur. v. MARTIN. *ad Proc. Sax. tit. 11. §. 2. n. 491. sq.* Idque in jurisdictione patrimoniali eo magis jura nostra Electoralia approbant, quo liberaliora fuere in concedenda etiam causarum contra subditos propriarum coram Domini judicio ventilarum decisione. v. BERGER. *E. D. F. Supp. P. II. p. 38. sqq.*

§. V.

§. V.

Judicis proprie sic dicti comites perpetui ac inseparabiles habentur Actuarii, *c. 11. X. d. Prob.*, quorum cum officia in actis atque processu dirigendis & fraudibus omnibus removen- dis maxumopere consistant, v. *CARPZ. P. 3. Dec. 201. n. 9. sqq. Id. ad. Proc. t. 2. a. 4. n. 40. sqq.* MARTINI *ad Pr. t. 2. §. 2. n. 3.* nec minor in iis requiratur legalitas, dexteritas & scientia, quam in ipsis iudicibus, *Ord. Pr. Sax. t. 2. §. Also. Dec. El. 38. § 39. add. MART. Anal. For. t. 2. §. 2. n. 2.* quin & adver- sus eosdem actionem de Syndicatu locum habere, doceat HORN. *Resp. 86. Class. 12. n. 2.*, idque eò magis, quo facilius & periculosius est, registrandorum sensum mutari, aut acta alias corrumpi, quam injustum ferri decretum, immunes personas istas à suspecti exceptione, tunc potissimum, ubi Parentis vel filii eorundem causa in iudicium deducitur, cen- semus neutiquam. *add. RIVINI Enunc. 1. § 2.*, ubi iudicium, in quo rei gener Actuarii munere functus, & Senatorum ma- jor pars sanguine eidem juncta fuerat, recusatum, & su- perior statim iudex aditus est, addita decidendi ratione: **D. a. v. D.** ad causas suspicionis mit gerechnet wird, wenn der Richter einem Part mit naher Bluts-Freund- und Schwägerschaft verwandt,

l. 10. ff. d. Jurisd.

l. un. C. ne qu. in sua caus.

c. ult. X. d. appell.

und in facto allhie sich ereignet, daß Marcellus Des Titii Stieff-Schwieger-Vater ic.

C

§. VI.

§. VI.

Declarant modo dicta, quatenus Judex Pater vel filius **eo casu** à suspecti nota se liberent, quo à decreto dando abstinentes sententiam à Collegio Jctorum expetunt. Hac enim ad acta & probata omnino respiciente, per Ord. Appell. Sax. d. a. 1605. t. **von Verf. und Publicirung der Urtheil**, ac, si juri in thesi contraria fuerit, pinguioribus longe remediis invalidanda, quam si facti speciem neglexerit, *arg. l. 2. C. qu. prov. n. est nec. c. 1. X. d. Sent. & Re jud.* quis non perspexerit, causæ cognitionem pluribus longè fraudibus expositam esse, quam ipsam decissionem, adeoque eum, qui in processu dirigendo suspectus est, quo referri Patrem in causa filii non amplius dubitatur, eandem notam, actis ad petendam Jctorum sententiam transmissis, haudquaquam evitare.

§. VII.

Absolutis sic ferme iis, quæ de suspitione Parentibus vel filiis in judicando opponenda annotatu digna videbantur, duobus adhuc verbis rationes quadam, exceptionem dictam ne nostro quidem casu admittentes veniunt recensendæ. Contingere id animadvertimus in eo,

- 1) à quo nec appellari potest, prout §. 9. c. 1. fuit traditum.
- 2) in quem adversa pars semel sciens consensit, *arg. l. 5. §. fin. C. d. Temp. & Rep. App. l. 1. §. 3. ff. a. qu. app. n. lic.*
- 3) qui à summo Judice causa cognita recusari prohibitus fuerit, *arg. l. 1. §. f. ff. a. qu. app. n. licet.* conf. GAIL. l. Obs. 33. n. 4. sqq.
- 4) qui

- 4) qui utrique parti æquali vinculo connexus est. *arg. l. 67. §. 1. ff. d. R. N.* licet æqualitatem istam non proportionem arithmetica, sed affectionis potius præsumtæ gradu & regularum §. 8. & 10. c. 1. exhibitarum norma iudicis arbitrio metiendam esse, ipsa naturalis ratio inculcet.
- 5) qui cognitionem aut expeditionem causæ moram non ferentis suscipit. *arg. l. 16. ff. d. Off. præf. v. RICHTER. Vol. 2. Conf. 259.* Ex quibus casuum reliquorum decisio absque difficultate ulla colligetur.

CAP. IV.

De Patre & filiofamilias, Judicibus mutuis.

§. I.

Patrem & filium haberi pro una persona, non ultimum est axioma doctrinæ de patria potestate, multis nihilominus & exceptionibus & erroribus obnoxium. Primo enim loco genuinum ejus fundamentum, nec in *l. f. C. d. Imp. & al. subst.* querendum erat, utpote quæ nec de filiofamilias, sed de filiis in genere loquitur, atque in regula formanda vix ipsa sibi certò constat, nec in §. 4. *Inst. d. inur. stipul.*, cum eandem ferme phrasin *l. 42. ff. d. damn. inf.* ad servos etiam applicari videas; nec in *l. 16. ff. d. furi.* potestatem non solum patriam, sed etiam dominicam innuente. Dein limites ejusdem in effectibus acquisitionis haudquaquam figendi sunt. Sicut enim omnia filiusfamilias, qua talis, non Patri, multo minus pater filio acquirit, §. 1. *Inst. per qu. pers. unic.*

unic. acqu.; sic præter acquisitionem & jura fuitatis. & pupillaribus substitutionis, prohibitorum contractuum, litium, aliaque ad eandem regulam jure suo referuntur. Quocirca ejus fundamentum ex mera Juris analogia, Systematibusque Doctorum, quam è legum verbis, potiori jure repetieris, eamque regulam, ne exceptionibus nimis suspecta reddatur, ita protuleris: filiumfamilias in negotiis commoda privata concernentibus unam cum patre personam sustinere, in publicis vero ipsum jure patrumfam. censerit. *l. 9. ff. d. h. q. sui l. alien. jur. l. 13. §. f. & l. 14. pr. ff. ad SCt. Trebell.*

§. II.

Occasionem fecit hæc regula ferendæ *l. 77. ff. d. Judic. ex AFRICANI Qq. libr. 3. desumptæ*, quæ tamen ad dubium: Anne patria potestas obstet, quo minus filius patris esse judex, vel contra, possit, generaliore videtur afferre decisionem, dum de Patre illud & filio seu sui juris, sive in potestate constituto, affirmat, sed ad negotia tantum privata, h. e. controversias civiles restringit, *conf. §. 6. c. 2. notata.* Contrariari vero dictus textus *legi 10. ff. d. Jurisd.* jam dudum Doctoribus visus fuit, qui varia proin antinomix quæsierunt remedia. v. EKOLT. *ad ff. 1. d. Jurisd. §. 4. &*, qui plura refert, MATTH. STEPH. *d. Jurisd. l. 1. c. 34. n. 5. sqq.* è quibus duo cumprimis, meo judicio, conciliationi quam optime inserviunt. Primo quidem, ut cum DUARENO judicem, ab eo, qui jus dicebat, & jurisdictioni præerat, distinguamus, v. §. 4. c. 1., deinde autem *l. 10. d. Jurisd.* favorem tertii s. partis adversæ, *d. l. 77.* vero Patris & filii commodum ob oculos maxime habere, cum BRVNNEM. *ad d. l. 77.* asseramus. Qua ratione leges hæc quam arctissime conspirabunt,

bunt, dum illa jus dicere (& paritatis argumento judicare) prohibet domesticis, parte scil. recusante, hæc utrumque adversariò non excipiente permittit. *conf. HAHN. ad WESSEN. t. d. Jud. n. 10.*

§. III.

Quamvis igitur nec plane arceantur pater & filius à mutua judicandi potestate, nec indistincte ad eandem admittantur, nec in obeundis etiam publicis muneribus pater obstare filio vi potestatis suæ possit, *l. 14. §. 4. ff. d. mun. & bon.*; insignes tamen ejusdem se exerunt effectus in dirigendis causis filii forensibus. Repellunt enim leges filiumfam. actorem à limine judicii, nisi Patris nomine & autoritate accedente. *arg. l. 9. ff. d. Obl. & Act. l. 8. pr. C. d. bon. qu. lib.* adhibita tamen *d. l. 9.* limitatione, exceptis etiam iis casibus, qui statum familiæ plane negligunt, *arg. l. 8. pr. ff. d. Proc. c. 5. §. 1. sq. d. Proc. in oio.* nec recipere sine patre reales de peculio profectio & adventitio regulari actiones permittit *d. l. 8. §. 3. C. d. bon. qu. lib. conf. NÆV. Jus Patr. c. 5. §. 22.* Quinimo patremfamilias ea etiam, quorum nec proprietate nec usufructu gaudet, filii bona vigore potestatis & in judicio & extra illud defendere & gubernare posse constat, nunc neglecto, *arg. l. 1. C. d. bon. mat. & l. 8. §. 3. C. d. bon. quæ lib.* nunc adhibito ejusdem consensu, *d. l. 8. §. 3.* aut præstita in locum ejus rati cautione, SALICET. *in d. l. qua median- te in Saxonia El. per Ord. Proc. t. 7. §. 2.* etiam istos, apud quos respectus potestatis cessat, pro se invicem admitti, sancitum accepimus. *conf. SCHWENDENDOERFF. ad FLBIG. P. 1. c. 2. p. 242. CARPZ. l. 5. Resp. 84.*

§. IV.

Patrem præterea judicem quasi domesticum leges constituunt, cujus juris obsoleti dudum effectus, occidendi quippe, vendendi, & ad pœnam, quæ placuerit patri, reos condemnandi facultas, ne nos morentur, dubitandum haud est, jus correctionis modicæque castigationis, *l. 3. C. d. Parr. Pot. l. un. C. d. emend. prop. carceris item privati, non custodia sed emendationis causæ exercendi, v. MEV. ad Jus Lub. lib. 1. t. 3. n. 11. tandemque disciplinarius ergastulis morum impatientes offerendi, v. PHIL. Us. Pr. Inst. l. 1. t. 9. Ecl. 55. Et ibi cit. parentibus jure partim educationis partim patriæ potestatis competere. Sicuti vero excessum juris hujus domestici cum notabili reipublicæ detrimento conjunctum leges haudquaquam impune ferunt, arg. l. 5. in f. Et l. 6. ff. ad. Leg. Aquil., Et præjudic. Facultatis Vireb. à NÆVIO d. 2. §. 7. allegati; ita Juris terminandi controversias domesticas à STRUVIO S. I. C. Ex. 3. th. 39. memorati, & effectus admodum exiguos, nec illius sane probationem in legg. cit. 3. Et 4. C. d. Parr. pot. Et l. 17. ff. d. furt. animadvertere licuit.*

§. V.

Summorum potestatem principum, ut in subjectorum quosvis, sic & in filios eorundem extensam ad legum Justinianearum modulum referre, nostrum non est, nec ea, quæ ex Ord. Cam. P. 1. tit. 13. §. 1. Ej. tit. 57. Et Ord. Jud. Aul. tit. 7. afferri solent, præsentem faciunt sententiam, utpote quæ cum locis pluribus Principes Imperii Romano-Germanici, qua hujus Imperii cives, haudquaquam vero supremam isto-

rum

rum in propriis territoriis potestatem respiciunt, multo minus ad eos, qui de imperio nostro non sunt, veniunt applicanda.

§. VI.

Claudat agmen quaestio à WESENBEC. *ad tit. d. Parric.* quodammodo tacta: An parricidii teneatur pater, qui simul iudicis officio fungitur, filiumfamilias extrema meritum & sceleribus capitalibus coopertum privatos intra parietes clam interficiens, ut domestico potius exemplo, quam publico, & manu parentis potius, quam carnificis, poenas luat. Neganti favet sententia laudatus WESENB. *l. all. nec non NAEV d. l. §. 3.* reum eò, quod privata abesset vindicta, à poena relegatione graviori absolventes. At enim vero, cum 1) hæc ejusdem sententia oblitteratum dudum vitæ & necis jus parentibus contra omne rationis ac legum dictamen restituere videatur. *arg. l. 5. ff. ad l. Pomp. d. Parric.*

2) Judex intra privatos lares pro privato habeatur, *arg. l. 5. C. qu. & qu. jud. sent. l. 6. C. d. Sent. & Interl.*

3) nec abesse possit dolus & vindicta privata ab eo, cujus admissum homicidium, nec necessarii, nec casualis, nec culpofi definitionem admittit,

4) per ea, quæ *§. 6. c. 2. & §. 2. c. 3.* adduxi, ne iudici quidem, qua tali, causæ filiorum criminales subjiciantur,

5) demum per ord. Crim. a. 81. 160. & 165. & consuetudinem maxime hodiernam, de qua testantur

QR II K 3574

tur KRESS. *Comment. ad Ord. Cr. d. art. 81. §. 2. p. 138.* & CARPZ. *ad proc. Sax. t. 16. a. 1. n. 21. sqq.*, iudici in caulis criminalibus ipsi cognoscere, liberum non sit, vix ulla apparet ratio, quæ poenam parricidii ordinariam casu prædicto excludere valeat.

§. VII.


Quod reliquum est, ea, quæ ad propositum referenda caput hic frustra quærentur, partim ex adductis facili argumentatione concludi, partim ob temporis rationem, paucorum vix dierum spatio, urgentibus ex circumstantiis, meditationibus isthis relicto, scienter omitti, monendus mihi erat æquus Lector, benigniorem sententiam hisce, non eximii cuiusdam Jcti curis, sed ingenii parum adhuc exercitati conatibus impertiturus,

S. D. G.



X 2380001

MC



B.I.G.

Farbkarte #13

B. N. 4290.
h. 56, 14.

II R
3574

A. Ω.
PATREM ET FILIVM,
IUDICES MUTVOS,

EX
DECRETO ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
SVB PRAESIDIO

DOMINI,
CHRISTOPHORI DONDORFF,
J. V. D. FACVLTATIS IVRIDICAE, VT ET
CVR. PROV. INF. LVS. ASSESSORIS

GRAVISSIMI,
DISSERTATIONE JURIDICA

AD D. X. SEPT. A. cIo Iocē XXII.
SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTENDA,
H. L. Q. C.
P. P.

CARL RVDOLPH GRAEFE,
WELTEVIC. MISN.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANVELIS TITII.

16